

B




INTERNET
ARCHIVE

The Getty

GRATIARUM ACTIO
EXHIBITA
CLEMENTI
UNDECIMO
PONTIFICI MAXIMO
A Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Ferrariæ.



ROMÆ, MDCCIII.
Excudebat Cajetanus Zenobius Sanctissimi Domini Nostri
CLEMENTIS XI. Scalptor.

SVPERIORVM FACVLTATE.



BEATISSIME PATER.



QUA die ſapientiſſimo Divinæ Mentis Conſilio factum eſt, ut penès Te BEATISSIME PATER, ſupremæ Dignitatis deportarentur inſignia, licèt quamplurima fuerint, quæ totius Chriſtiani Orbis admirationem comparaverint: Illud tamèn præ cęteris noſtrorum omnium Animos perculit, quòd arcanam, nec hactenùs

usitatam rationem inierit Deus, qua dùm Unum eligeret, nemini displiceret; atque omnes Unius Dignitate perindè faceret lętos, ac si omnium in Uno contineretur fœlicitas; adeòut illa Prophetæ Regii tùnc in ore omnium versari visa sit gratulatio *Domini est assumptio nostra, & Sancti Israel Regis Nostri*; Et sanè quis communem negaverit Principatum, quem qui obtinet, non suum esse duxerit, sed aliorum, quo qui caret, eam esse Principis mentem intelligat; ut divisas velit quidèm sui muneris partes: sed ità tamèn, ut laborem sibi, aliis utilitatem reservet. In ipsa quoque Majestate amabilis, parem se quodammodò cæteris præbet, dùm Maximus salutatur, gaudetque oblivisci, quod est, & semper meminisse, quod fuerat.

Hoc est profectò BEATISSIME PATER Pontificem ad absolutam Dei Hominis, cujus vices gerit, imaginem conformare: Sic enìm, & suum ille Principatum divisit, suos nos vocans, & nostras sibi adoptans ærumnas. Illud tamèn intèr utrumque discrimen esse dixerim, quòd Ille naturâ suâ Primus, voluntariâ mox demissione factus Novissimus, in nostra humilitate, altissimam depresserit Majestatem; Tu verò per maximam,

mam, ejuſdemque Numinis Vicariam Poteſtatem, ſummam in ſupremo faſtigio moderationem exhibeas.

Quæ quidèm cùm impleas cumulatiùs, quàm promiſeris, Te nunc ampliùs non admiramur, quòd Dignitatem tuam recuſaveris, ſed quòd acceperis. Noverat enìm Mens illa ſublimis, & cognata ſyderum, tantùm habens cum Divinitate commercium, noverat onus, quod parabatur, Angelicis humeris formidandum. Quid mirum ergò ſi cæteris Te ad ſumma vocantibus, Unus obſiſteres? Tunc enìm verò facinus omnium ſæculorum memoria digniſſimum es aggreſſus, cùm non carni, & ſanguini, ſed Spiritui Sancto aquieſcens, nec privatis, ſed publicis conſulens rationibus, eo temporis momento Orbem ſuſtinendum accepiſti, quo lapſum minabatur; Tibique Eccleſiam Univerſam unicè commendarunt maximæ calamitates, & totius Orbis fœlicitas extitit hæc una, fuiſſe miſerum.

Quàm fœda enìm tunc rerum facies ſe animo ingeſſit? Quot gliſcentium bellorum tumultus? Quot prœliorum ſemina, vel in ortu ſuo grandia? Quæ diuturnę, & tot conſultationibus imperatę Regum, ac Principum irę? Quę novorum Dogmatum mul-

tis

tis in Regionibus turpiſſima libertas, & hęreditarius in Romanum Pontificem furor? Verùm hæc omnia ſemèl terruerunt, ut nunquàm ampliùs terrerent, ſemèl timuiſti, ut nunquàm ampliùs timeres, & retrò gradum traxiſti, ut validiùs progredereris, & Petri Æmulus, & Succeſſor, conſtantiùs ſuprà fluctuantem pelagum, quàm ſuprà ſtabilem terram ambulares.

Et profectò quis è Cœlo donatum non agnoverit Principem, qui nihil timeat, & nihil terræ debeat, qui in Fratre inclyti Sanguinis, & virtutum Germano, qui in Nepote ipſo totiès cum primis Sapientum Capitibus congreſſo, vel integris diebus Romæ admirationem fatigante, & juſta omnium impatientia celebrato, tantùm metuat cumulatas laudes, & plauſus.

Mira tùnc lętitiæ facies explicuit Civium Ora, nec cohibere ſe poterat populi favor, quin totus in gaudia, feſtaſque precationes erumperet, ut quem Deus felicitèr Principem dederat, felicitèr conſervaret, auſpicante ſibi Româ in Clemente, Leones, Gregorios, verè Magnos, velutì Caſtoris, & Pollucis aſtra in tempeſtatibus ſerena, Sydus aliud æquæ magnitudinis, inter umbras

ful-

fulgentiſſimum. Quod ſi vel ab ipsâ inauguratione conjiciendum, quæ tantum Pontificem conſecutura ſunt decora, illud hic jure optimo liceat uſurpare, quod de B. Euſebio Eccleſiæ Vercellenſis Antiſtite ſcripſit Ambroſius. *Meritò vir tantus evaſit, quem omnis elegit eccleſia, meritò creditum, quod Divino eſſet electus judicio, quem omnes poſtulaviſſent.* Nec diù ſuſpenſos habuit animos expectatio: In ſupremo enim rerum culmine conſtitutus, ſubjectas undiquè terras cogitatione complexus, qua celeritate mentem in proximas paritèr, ac remotiſſimas Regiones diviſeris, vel poſitæ extrà anni, Soliſque vias, extrà noſtrum Orbem teſtantur Provinciæ, quas per Nuntios alloqueris, per amorem complecteris, per beneficia demereris.

Sed quorsùm hęc? Inanitèr ne, aut ad conciliandam dumtaxàt benevolentiam commemoramus? Minimè quidèm; cui enim Modeſtię tuę non ſit nota ſeveritas, qua tuis acerrimè laudibus indignaris. Verùm quæ in dies ſpargis, ac longè, latequè diſſeminas beneficia, nobis omninò tacitis prætereunda non erant. Nihil enim tuam magis in Nos providentiam commendat, niſi quòd è ſummis Chriſtianæ Reipublicæ

ne-

negotiis ad minima etiàm privatorum hominum commoda procuranda, ſolertiſſimas nuperrimè curas deflexeris, quàm ſimilimus Deo, qui & in minimis vult ſe Maximum prędicari.

Locus erat noſtro in Templo eximiè incommodus, in quo ſtatutas Deo laudes per hyemem ſolveremus. Structura quidèm auguſta, ſed nimis ampla, quęque non ad privatum unius Eccleſiæ cœtum, ſed ad publicum penè Orbis conventum ſuffecerat: Illùc enìm primò univerſalis illa fuit Synodus coacta, quæ Ferrariæ cœpta, & mox Florentiam traducta, diuturniorem quidèm alibi Sedem, ſed non fortaſſe capacem magìs obtinuit. Vix innotuit auribus tuis paternis, quantùm à debita ter in ſingulos dies pſalmodia Sacerdotum animos injuria frigoris retardaret, cùm illicò, ut nec in Deum minueretur Religio, nec homines pluſquàm par eſt, gravarentur, nulla habitâ diſpendiorum ratione, Odeum alterum extruendum mandaſti, contracta quidèm veteris amplitudine, non dignitate, utpotè, quod novum, tuam ſempèr oculis ingeret Majeſtatem.

Quot? Deus Immortalis, quot in hoc uno munificentiæ tuæ monimento, ſunt argu-

gu-

gumenta, quæ ſibi non Urbis modò noſtrę, ſed omnium gentium admirationem concilient? Non ſolùm in tanta, quam diximus negotiorum turba, ac difficillimà Orbis terrę procuratione; ſed impeditis quàm maximè ditionis Eccleſiaſticę rebus id ſuſcepiſti; cùm Milites comparandi eſſent in tutelam; cùm Ærarium exhauriendum in armorum ſumptus, & apparatus. Quæ igitùr Animi tui Celſitudo, ut hæc intèr alia pro Religionis ornamento mediteris? Nonne bellorum circumquâque ſtrepentium tumultibus diſtractus, atquè impeditus, Domum Domini ædificandam Rex ille religioſiſſimus diſtulit, quem factum cœteroquin juxta cor Dei ſacrarum memorant Oracula paginarum? Verùm Tù tanti Principis magnanimitatem quasì ſupergreſſus, & bello, & paci conſulis, & templa conſtruis, & arces, Te fortitudini totum devoves, Religioni.

Memineras pſallentium voces, ſacrorumque Ordinum precationes, validiſſimas illas Sanctuarii tubas referre, quę non minùs ad dejiciendas perduelles cœlo arces, quàm ad firmanda meliorum Urbium propugnacula perſonarent. Quò circà, ut noſtram, quam tibi addictiſſimam noveras

Civitatem , adversùs finitimorum Militum incursiones , licentiamque munires , quo tempore mœnia validiùs firmas ; aggerem amplificas , Militem auges , Pacem inter bella meditaris , pacem loqueris , & tandèm victrici prudentia tantùm suadebis , ut semèl persuadeas ; opportuniorem divinis laudibus extruis locum , ut intelligeremus , quantùm Cordi, quantùm Tibi sint in amoribus , ad quorum salutem Cœli , terrarumquè præsidium advocares .

An verò hæc pro nostra incolumitate molitus es , cùm nullæ premerent sacros in usus impensæ ? Norunt Quirites , quibus suus ipse Tybris infestus gemina undarum eluvione , & terræ , & aeri gravis , gemino munificentissimi Principis beneficio pacata omnia , ipsumque periculum sibi sensere innoxium . Norunt subjectæ tot Urbes , norunt Oppida , terram etiàm instabilem experta , quæ terręmotibus æquata solo , non nisì unius Clementis liberalitate felicitantur . Norunt commorantes adhùc in agris miserandę multitudinis greges, quibus cùm omnia , quæ ad vitam tuendam paraverant , ruinis domorum fuerint consepulta , id unum sibi superesse gratulantur , quo lachrymas , mœroremque detergant, Princi-

pis

pis ſcilicèt miſerationem, & largitatem.

Adeſt nimirùm par omnibus Parentis optimi charitas: atque adeò nunquàm ad beneficia manus, quæ vel abſentes, & erigant, & ſuſtineant, arctantur, ut cùm tot in opera ſuppetant cenſus, divinitùs quodammodò aucti videantur. Sed tuæ verè ſunt iſta, miracula parſimoniæ, qua tàm parcè conſulis Tibi, ut habeas, quæ munificentiùs in alios effundas. Verùm, & ſi unus omnium calamitatibus tàm abundè ſufficias, nos tamèn peculiare quoddam fuimus liberalitatis tuæ privilegium experti. Non enìm Tibi ullæ ſunt exhibitæ preces, nec quod eſt adhuc precandi genus validius, ut miſerationem extorquerent, noſtra in conſpectum dedimus incommoda. Tua nobis penitùs inopinantibus occurrit Humanitas, & quod petere, ne venire quidèm in mentem poterat, Largitor ultroneus feſtinaſti, bis beneficus, & quod dederis, & quod non expectaveris, ut rogareris. Hæc ſiquidèm eſt beneficentiæ cumulatiſſima laus, ut cùm beneficium velit eſſe omninò gratuitum, emptum minimè verecundia poſtulantium patiatur.

Quæ cùm ità ſint Beatissime Pater, omneſque uno in munere abſolutiſſimæ Muni-

ſicentiæ numeros impleveris; quis omnes nunc partes adeò exactè in actione gratiarum proſequatur?

Adſunt ex ampliſſimo Purpuratorum Patrum Senatu tria prꝙſtantiſſima Lumina. Dominus Cardinalis Imperialis olìm in noſtræ Urbis moderamine Legati, ac in Sacro Regimine Delegati munus exercens, nunc verò Capituli noſtri Patronus, in omnibus muneribus ſempèr idem, & eximius. Adeſt Dominus Cardinalis Pauluccius, qui Ferrarienſem nupèr Eccleſiam regens, nunquàm deſeruit, nunquàm deſerit abſens, ita ut videatur in ea una, oculos figere, quos Mundo debet, accepti hujuſce beneficii fautor ampliſſimus. Adeſt deniquè Dominus Cardinalis de Verme noſtræ modò Civitatis Antiſtes, ad omnem prorsùs præſtantioris ſanctimoniæ normam, cultumque compoſitus. Plaudunt hi quidèm Omnes beneficentiæ tuæ mira quadam jucunditate perfuſi, quòd finitimo ardente bello, in Sunamitide videant, hoc eſt in Eccleſia, quam velutì ſempèr Sponſam Uxorem Agni præ oculis habeat, novos quasì quoſdam Caſtrorum Choros ꝙdificari. Sed multò magìs apud quos commoda pervenerunt, vigere debet accepti muneris ꝙſtima-

matio: Ipſe ego ſub altiſſimi Montis umbra, ſub propitii Syderis influxu penè nutritus, & adultus, veluti vapor benefico radio de terra evectus, totus ęternas in grates effuſus, alienæ lętitiæ interpres ęgrè meum expono gaudium, ne dùm omnium, & minima Capituli pars, Dignitatum, & Canonicorum maximum grati animi ſenſum agnoſco, & ad exprimendum ignoro. Magnos Nos equidèm dona Principis effecerunt; Majores tamèn efficit amor; adeòut locus non deeſſet invidiæ, nisì, & reliquis paria de ſua benignitate promitteret, qui non ideò largitur uni, ut deſperationem, ſed ut ſpem cęteris exhibeat.

Erit proindè nobis, exteriſque cernentibus jucundiſſimum, quod liberalitati tuę monumentum in nova pſallentium Æde collocabimus: Omnium enìm paritèr animos excitabit, noſtros ad accepti recordationem beneficii, alienos ad accipiendi fiduciam, utroſque tamèn ut grati ſint, quod de tua largitate, aut illis profuſiùs gaudere, aut confidentiùs ſperare tribueris. Verùm contemnenda, quæ tantùm vivat in marmore recordatio. Quę igitùr in nos tàm liberalitèr contuliſti noſtris meliùs inſculpta pectoribus, occurrent quidèm ani-

mo

mo ſempèr; Sed tùnc potiſſimùm, cùm novam Odei Sedem intrabimus, gemina Sanctitate conſpicuam, & Sanctiſſimi Numinis, cui eſt conſecrata; & Sanctiſſimi Conditoris, qui conſecravit. Ea autèm ibi perennior erit in poſterùm canentium Vox, illud Votum, Principis Salus, atque Fœlicitas. Interìm Sanctiſſimis Tuis Pedibus advoluti oſcula figimus; atque Apoſtolicam Nobis, majoremque omnibus, quæ nupèr accepimus beneficiis, benedictionem precamur.

B. V.



Addictiſſimi, Obſequentiſſimi, Humilimi Servi, & Filii
Hieronymus Criſpus Archipresbyter, Dignitates, & Canonici.

IMPRIMATUR,


Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Apoſtolici Palatii.

Dominicus de Zaulis Epiſcopus Verulanus Viceſgerens.



IMPRIMATUR,

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sacri Apoſtolici Palatii Magiſter.



B.

Calcolo ossia Stima

Della Facoltà del q. Nicolò Capara Scud. 14253: